Noverint universi quod anno a nativitate domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo et die nona mensis
augusti hora vesperorum vel circa in presentia mei Petri de Ponte notarii publici substituti auctoritate regia a Jasperto de Campo
longo publico Gerunde notario et testium infrascriptorum Francisci Durandi scriptoris Gerunde et Petri Vidalis de Bascharone
ad hec specialiter vocatorum existens et personaliter constitutus Andreas Saverdera baiulus naturalis de Pontonibus
ante presentiam venerabilium Bernardi Raymundi iurisperiti et Arnaldi de Valle civium Gerunde iudicum seu inqui
sitorum tabule officialium regiorum triennii proxime lapsi in absentia venerabilis Ferrarii de Loustaria domicelli con
iudicis primo coram dicto Bernardo Raymundi et successive coram dicto Arnaldo de Valle appellavit et provocavit
inscriptis ab ipsis iudicibus seu inquisitoribus ac apostolos semel secundo tertio sepe sepius et instanter ac cum instantia et
maius iterans iterum et iterum petiit sibi dari prout et quemadmodum in quadam papiri cedula scripta quam michi
dicto notario tradidit et coram ipsis iudicibus seu inquisitoribus legi et publicari petiit atque fecit de verbo ad verbum
latius continetur cuius tenor talis est Cum nos venerabiles Ferrarius de Loustaria domicellus Arnaldus de Valle civis et
Bernardus Raymundi iurisperitus Gerunde iudices seu inquisitores tabule triennii proxime preteriti nominem fecerimus et citari
Andream Saverdera baiulum de Pontonibus et etiam arrestari fecerimus et astringi in civitate Gerunde et etiam obligari
ad certam penam de tenendo tabulam coram nobis ratione officii sui baiulie sicut sit quod ipse Andreas Saverdera minime
teneatur ad tenendum tabulam pro eo quod antiquitus locus et incliti de Pontonibus fuerunt et erant de dominio domini
de Crexello et sic non fuit nec erat locus regius et per consequens non tenetur ad tabulam tenendam Item quod retro
ipse Andreas Saverdera et predecessores sui a decem viginti triginta quadraginta quinquaginta et sexaginta annis citra
infra et ultra et a tanto tempore citra quod hominum memoria in contrarium non existit per se et predecessores suos
fuit et est baiulus naturalis et perpetuus Item quod per dicta tempora et infra eadem ipse Andreas et predecessores sui fuerunt
liberi et franchi a tenendo dictam tabulam ratione dicte baiulie palam et publice quodque etiam non tenentur tabula
ymo fuerunt et erant in possessione predictorum vel quasi Item si aliquam penam sibi imposuit de non exeundo
civitate Gerunde pro predictis hoc fecit contra et metu captionis et ut posset redire ad propria Item quod inquisitores tempus
preteritum [illegible] gravabatur quod dicto baiulo tenere tabulam incontinenti allegatis predictis dimittebat et dimiserunt eundem
et predecessores suos palam et publice quare ex causis predictis et aliis suis loco et tempore proponendis et allegandis sentiens se agra
vatum [illegible] nos insuper fore [illegible] agravandum [illegible] a nobis dictis venerabilibus inquisitoribus et aliis detinentibus et
citationibus ac ab ipsa pena et impositione eiusdem et a compulsione quam nos facitis et fecistis et quod facitis ipsum
stare in civitate Gerunde tanquam arrestatum et ab omnibus penis et gravaminibus per nos sibi illatis et comminatis et
inferendis pro predictis ad dominum regem patrem et legitimum administratorem incliti domini infantis Johannis
eius primogeniti ducis Gerunde et comitis Cervarie in hiis scriptis provocat et appellat et apostolos petit semel secundo et
tertio sepe sepius et instanter et ea qua decet instantia per nos sibi concedi dari et tradi et inde fieri et tradi sibi publicum
instrumentum et publica instrumenta per notarium infrascriptum Et lecta per me dictum notarium cedula appellationis prescripta dicti Bernardus
Raymundi et Arnaldus de Valle iudices petierunt de ipsa cedula copiam tradi ipsi Bernardo Raymundi assignantes diem dicto
appellanti ad recipiendum apostolos tales quales de iure sibi dandi fuerint super dicta appellatione ad diem Jovis proxima de
quibus omnibus et singulis suprascriptis dictus Andreas Saverdera petiit sibi fieri et tradi unum et plura publicum instrumentum
et publica instrumenta per me Petrum de Ponte notarium publicum supra et infrascriptum Eadem vero die statim paulo post premissa
circa solis occasum dictus Andreas Saverdera intus hospitium archidiaconatus de Silva in ecclesia Gerundensi et coram venerabili
Ferrario de Loustaria domicello altero ex iudicibus seu inquisitoribus supradictis ibidem existente in presentia mei dicti Petri de
Ponte notarii et testium infrascriptorum venerabilis Francisci Adrovery iunioris civis Gerunde et Petri Colomi scriptoris commorantis
Gerunde ad hoc specialiter vocatorum a dicto venerabili Ferrario de Loustaria ut iudice seu inquisitore predicto appellavit
et provocavit inscriptis et apostolos semel secundo tertio sepe sepius et instanter ac cum magna instantia iterum et iterum petiit
sibi dari prout in dicta appellationis cedula quam ibidem coram eodem domino Ferrario de Loustaria legi petiit per me dictum notarium
latius continetur Et dictus venerabilis Ferrarius de Loustaria habens dictam cedulam appellationis perlecta petiit copiam
eiusdem tradi venerabili Bernardo Raymundi conyudici suo assignans diem dicto Andree Saverdera ad recipiendum apostolos
super ipsa appellatione ad diem Jovis proxima de quibus omnibus et singulis suprascriptis dictus Andreas Saverdera
petiit sibi fieri et tradi publicum instrumentum et publica instrumenta per me notarium publicum supra et infrascriptum Et
statim paulo post premissa eadem die fuit de dicta cedula appellationis per me dictum Petrum de Ponte notarium tradita copia dicto
venerabili Bernardo Raymundi iurisperito in platea olei Gerunde nomine suo et aliorum conyudicum recipienti presentibus
et ad hec vocatis testibus dicto Petro Colomi scriptore et Poncio Saurini [illegible] Gerunde Subsequenter vero die
Jovis superius assignata que fuit dies duodecima dicti mensis augusti hora vesperorum vel circa coram dictis venerabilibus
Ferrario de Loustaria Arnaldo de Valle et Bernardo Raymundi iudicibus seu inquisitoribus in dicta platea olei existentibus
personaliter constitutus dictus Andreas Saverdera in presentia mei dicti Petri de Ponte notarii et testium infrascriptorum venerabilis Ludovici
Struci Petri [illegible] de Villanaches causidici et Petri Palamors [illegible] Gerunde ad hoc specialiter vocatorum obtulit
se paratum recipere apostolos super dicta sua appellatione virtute presentis dicte assignationis quos semel secundo tertio sepe sepius et instanter
et cum magna instantia petiit sibi dari alias protestatus fuit quod non stat per eum quominus recipiat apostolos supradictos sibi — dandos
Et dicti Ferrarius de Loustaria Arnaldus de Valle et Bernardus Raymundi iudices responderunt quod in appellationibus frivolis
[illegible] non deferatur nec sit audiendus differendum et dicta appellatio sit frivola manifeste attentis constitutionibus Cathalonie genera
libus quibus cavetur quod omnes officiales regii tabulam tenere tenentur et sunt astricti Ideo dicte appellationi non defferunt tanquam
frivole frustratorie et inani hanc responsionem dicto appellanti pro apostolis refutatoriis concedendo Et dictus Andreas
Saverdera persistens in dicta sua appellatione petiit de premissis omnibus et singulis sibi fieri et tradi unum et plura pub
licum instrumentum et publica instrumenta per me notarium publicum supra et infrascriptum Que omnia ut superius continetur
successive acta fuerunt Gerunde diebus locis horis anno et mense prescriptis presentibus me et ad hec vocatis me dicto
Petro de Ponte notario et testibus superius nominatis etc.

Sig✠num Petri de Ponte notarii publici substituti auctoritate regia a Jasperto de Campolongo publico
Gerunde notario qui predictis appellationi provocationi apostolorum petitioni diei assignationi responsioni apostolorum
datorum aliisque cunctis et singulis suprascriptis dum sic ut prescribitur successive agerentur una cum prenominatis
testibus presens fui eaque aliis occupatus negotiis per alium scribi feci publicaque forma redigi et scribi
feci hicque me subscripsi et clausi cum supraposito per me in linea xxiiii ubi dicitur suos.

Perg. 147

A 19

323

Bayulia y Jurisdicion [illegible]